

WILLIAM DUNPHY

PROFESSEUR À L'UNIVERSITÉ DE TORONTO
ET À SAINT MICHAEL'S COLLEGE

SIGER DE BRABANT

QUAESTIONES IN METAPHYSICAM

ÉDITION REVUE DE LA REPORTATION DE MUNICH

TEXTE INÉDIT DE LA REPORTATION DE VIENNE

LOUVAIN-LA-NEUVE

ÉDITIONS DE L'INSTITUT SUPÉRIEUR DE PHILOSOPHIE

1981

non differunt; et ideo in eis non differunt finis et efficiens, et finis in esse et in intellectu agentis. Sed in materialibus differunt: forma enim sanitatis prout est in materia, secundum quem modum finis est, et prout est in anima, secundum quem modum efficiens est, differunt, quia forma
50 vel ratio sanitatis in anima est ars, et hoc non est id propter quod agit agens, sed est ratio sanitatis in materia habitus quidam materiae: et hoc est finis, aliud vero efficiens. Et patet ad rationes solutio.

Et advertendum quod finis non est causa alicuius nisi ut in fieri: finis enim non intelligitur nisi respectu motus vel moventis causae vel alicuius
55 habentis respectum ad motum. Et hoc patet per ARISTOTELEM *III^o huius*, qui dicit quod in immobilibus non potest esse finis, quia finis actus cuiusdam finis vult esse, et actus non est sine motu. Unde advertendum quod causa rei dupliciter est: aut quantum ad fieri, aut quantum ad esse. Si quantum ad fieri, adhuc dupliciter: quia aut ex ea inchoat fieri et
60 motus et sic est causa efficiens unde est principium motus; aut propter ipsam est motus et sic est finis causa. Si autem quantum ad esse: aut ex ea fit et componitur res, et sic est materia causa; aut sicut perficiens rem et esse eius, et sic est forma causa; et sic patet sufficientia causarum.

QUAESTIO <8>

CUI <CAUSAE> PRIMO CONVENIAT NOMEN CAUSAE

Consequenter videndum est cui causae primo conveniat nomen causae. Videtur quod formae, quia causa est ad cuius esse sequitur aliud;
5 illud igitur ad cuius esse maxime sequitur aliud, maxime est causa; sed ad esse formae causati maxime sequitur causatum: per formam enim est id quod est; quare forma est maxime causa.

Oppositum videtur, quia finis est aliarum causarum causa; quare inter omnes est maxime causa.

10 Item, illud ex quo sumitur ratio et definitio aliarum causarum est maxime causa; sed hoc est finis, quia ratio materiae et formae sumitur | ex fine, ut patet ex fine *IIⁱ Physicorum*: quare enim serra sit ex tali materia dura, ut ex ferro, ratio redditur ex fine, quia est ad secundum ligna; et quare est talis formae, ut quare est dentata, ex eodem sumitur

46 differunt²] differt *scr.* 47 differunt] differt *scr.* 51 quidam] quid *scr.*

55 ARISTOTELES, *Metaph.*, III, 2 (996 a 26 sq.).

12 ARISTOTELES, *Physic.*, II, 8 (199 a 30 sq.).

ratio; ratio etiam efficientis ex fine sumitur; quare ratio omnium 15
causarum ex fine sumitur; quare est maxime causa.

Item, illud quod antonomastice habet nomen causae, maxime videtur
esse causa; sed finis est huiusmodi: nominatur enim per causam, dicitur
enim cuius causa etc.; quare est maxime causa.

Solutio. Intelligendum quod finis est causa omnium aliarum causa- 20
rum. Est enim finis causa efficientis ut efficiat: nisi enim esset finis, agens
non ageret; non autem est causa substantiae ipsius efficientis, sed
efficientis secundum quod efficiens est, et secundum quod causa.
Efficiens autem est causa formae: forma enim est effectus agentis.
Ulterius autem et forma est causa materiae, saltem in esse, quia ex forma 25
dependet esse materiae. Et ideo finis est omnium aliarum causarum
causa. Unde et antonomastice habet nomen causae; quare primo est
causa, et ratio causarum aliarum ex fine sumitur; unde et omnes
demonstrantur ex fine, ut dicitur *II^o Physicorum* et sunt demonstrationes
ex fine potissimae. Et quia finis est talis, necesse est efficientem et 30
formam esse talem, et per consequens materiam; et ideo in ista causa
cessat demonstratio. Unde, cum sit demonstratio per causam aliam,
adhuc restat quaerere propter quid, donec reducatur in finem; et ideo
finis primo habet nomen causae.

Et cum arguitur quod forma primo habet nomen causae, quia causa 35
est ad cuius esse sequitur aliud, dicendum quod causa influxum dicit, et
ideo quod plus influit, magis et prius est causa; et quia causa prior plus
influit quam secundaria, ut dicitur *Libro de causis*, ideo quae est causa
prior vel prius, magis est causa: haec autem inter omnes causas finis est,
ut iam dictum est. 40

Sed cum dicitur quod ad esse formae maxime sequitur causatum,
dicendum quod forma, cum sit quod quid est causati, maxime propinqua
est causato et fere idem causato; et ex hoc non sequitur quod ipsa
multum habeat de ratione causae, sed de ratione effectus magis; unde,
etsi forma sit maxime propinqua causato, non tamen maxime influit; ex 45
hoc autem debet dici causa; quare non maxime est causa, sed magis finis,
quia primo influit.

19 etc.] marg.

29 ARISTOTELES, *Physic.*, II, 8 (199 a 30 sq.).

38 *Liber de causis*, § 1 (éd. BARDENHEWER, pp. 163-164).

< COMMENTUM >

Consequenter ponit proprietates causarum tres.

Prima est quod multae possunt esse causae per se eiusdem. Et intelli-
gendum quod multae possunt esse causae eiusdem in diversis generibus,
5 ut finis et materia etc., et causae per se; sed tamen in eodem genere
causae et in eodem ordine seu gradu non contingit. In eodem tamen
genere et diverso gradu plures possunt esse causae eiusdem, ut sol et
homo sunt causae generationis hominis; sed homo causa propinqua, sol
vero causa remota. Sed in talibus nullum per se acceptum est tota causa,
10 sed est pars causae, sicut cum multi homines trahunt navem, nullus homo
per se acceptus est causa, sed pars causae.

Secunda proprietas est quod causae sibi invicem sunt causae: ut finis
causa efficientis et efficiens causa finis, ut ambulatio causa efficiens
sanitatis et sanitas finis ambulationis.

< QUAESTIO 9 >

UTRUM EFFICIENS SIT CAUSA FINIS ET E CONVERSO

Et hic primo quaeritur utrum efficiens sit causa finis. Videtur quod
non, quia, si sic, et finis est causa efficientis, ut dictum est prius, idem
5 ergo est causa sui ipsius; sed hoc est impossibile in quolibet genere
causae: causa enim est aliud a causato; quare etc.

Oppositum dicit PHILOSOPHUS hic.

Solutio. Dicendum quod si efficiens esset causa finis quantum ad illud
quo finis est causa efficientis, tunc idem esset causa sui: causaret enim
10 idem et causaretur. Si vero secundum aliud efficiens sit causa finis, et
finis causa efficientis, non oportet hoc; sic autem est et non primo modo,
quia efficiens est causa esse finis in materia et finis est causa efficientis ut
appetibile et desideratum, et non per esse eius in materia, quia, si finis
esset causa efficientis secundum quod huiusmodi, per esse eius in
15 materia, tunc numquam agens ageret, quia agens non agit nisi producen-
do esse finis in materia.

Et eadem potest fieri quaestio e converso: utrum finis sit causa
efficientis, et eadem ratione potest argui quod non.

9 quo] quod f scr. sed corr.

2 ARISTOTELES, *Metaph.*, V, 2 (1013 b 5).

7 ARISTOTELES, *Metaph.*, V, 2 (1013 b 9 sq.).